



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605302-p0001-5

DFG





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605302-p0003-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605302-p0004-2

DFG





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605302-p0006-3

DFG

37

26.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA;

De

ΑΔΗΦΑΓΙΑ

Sive

INTEMPERAN- TIA EDENDI, NOCUA.

Quam

DEO BENEDICENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO;

DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ELECTORATUS
HEREDE, E.R.

FUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

SUB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI VIRI

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. DOCT. AC PROF. PUBL. h.t. DECANI,
PATRONI AC PROMOTORIS SUI ÆTATEM COLENDI,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura, ac Privilegia
legitime capessendi,

Ad d. April. A. M. DCC. horis ante- & pomeridianis
Publicæ Eruditorum disquisitioni proponet

HERMANNUS VOGEL, Hervordiensis.

HALÆ MAGDEB. Literis Chr. Henckelii, Acad. Typ.





PROOEMIUM.



Eritò certè exclamant

Abderitani, in sua ad Hippocratem Epistola: Φεῦ, ὡς καὶ τὰ αἰγαθὰ περισσευσάντα, νόσοι τυγχάνουσιν. Eheu, itane etiam ex bonis rebus modum excedentibus, morbi obtingunt!

Cum enim ex omnibus illis rebus, quas homines boni nomine censem, nihil sit, quod non certum respectum involvat, cuius intuitu pro tali habetur: Ita, simulatque iste cessat, aut planè diversum intercedere contingit, perit etiam illa bonitas, aut transit planè in deterius, ut mali potius effectus infamiam incurat. Est verò de numero respectuum horum ipse omnino Modus, tum ratione continua quantitatis, seu mensuræ, tum discretæ, repetitæ, seu temporis: Hos terminos quicquid migrat, subit mox nigrum illum calulum Hippocratis (2. aphor. 52.) πᾶν τὸ πόλυ, τῇ φύσει πολέμειον, omne nimium naturæ inimicum. Quam verum hoc sit in rebus Physicis, vel inde facilè intelligi poterit, quod omnium harum, principia generalissima sint materia & Motus. Quorum utrorumque indivisa penitus conditio, cum sit quantitas, ejusque proportio; qui fieri potest, quin quilibet insignis hujus error, effectum post se trahat, non bonum, sed πολέμειον, laboriosum, refr-

A 2

Eta-

ctarium, repugnantem. Sive enim *Naturam*, in gene-
re, pro ipso *Motu*, quatenus *principium rerum Corpora-*
rium dicitur, nempè *activo*, accipiamus; sive pro agente
quodam, Motum hunc, tanquam effectum in materiam
aut in materiâ, efficiente, agnoscamus; utroque certè
sensu necessaria deprehendetur talis, inter agens & pa-
tiens, inter Motum seu movens, & movendum, pro-
portio, quæ non omnem, sed justam quantitatem, exi-
gat aut admittat. Præterea, ad corporis molem conve-
nientem & determinatam ipsam quoque constituendam,
non nisi certa & determinata materiæ quantitas conveni-
et: quæ sive major sit justò, sive multò minor, nihil in-
de instituto respondens prognascetur.

Exserunt sese hæc incommoda multis modis in ne-
gotio Nutritionis, quod ejusmodi excessibus variè, &
sæpè vehementer, perturbatur. Si enim non modo con-
coctionem, & distributionem respicias, sed etiam secre-
tiones debitas, & excretiones, & necessarios illos respe-
ctus, qui inter jam coctum, & crudum, intercedunt, &
temporis convenientem rationem omni modò requiri-
runt; Nullum utique remanebit dubium, quin perversio
quantitatis, temporis, successus etiam mutui & quasi loci
proportio turbata, totam laboris hujus summam pertur-
bare possint.

Quod cum ita sese habeat, & magnæ sæpè considera-
tionis molestiæ ab hac radice propullent, in sensibi-
lieribus præcipue infantum, infirmorum, aut aliter con-
suetorum, corporibus; Ita ut in Praxi Medicâ modo
prægressæ causæ titulum mereatur, modo anteceden-
tis, seu fomitis culpam, sustineat ejusmodi excessus: Pla-
cuit nobis hanc materiam Disputationis nostræ Inaugu-
ralis

ralis constituere, & de *Ἄδηφαγίᾳ*, seu INTEMPERAN-
TIA EDENDI NOCUA, quæ memoratu digna vi-
dentur, in medium proferre.

DEUM Teroptimum Maximum humillimè rogo, ve-
lit clementissima sua Benedictione conatus nostros, ad bo-
num successum & finem, benignissimè dirigere.

CAP. I.

Ἄδηφαγία quid sit?

Neque satietas, neque fames, neque quicquam aliud bonum
est, si modum excederit, inquit Medicorum Princeps,
2 Aphor. 4. Ino verò in 6. Epidem. commate 4. text. 22.
Exercitium sanitatis ponit, in ἀνοείᾳ τροφῆς in alimen-
torum non ad plenam satietatem assumtione; Tantò minus verò
convenit hæc ipsa, in morbidis corporibus, quandoquidem eo-
dem teste, 2. aph. 10. *Impura Corpora, quo magis nutriveris, eò ma-*
gis læseris. Unde quidem tanto magis fugienda semper est illa
edendi Intemperantia, quæ omnibus hujusmodi censuris nota-
tur, Græcis *Ἄδηφαγία* dicta, ab ἄδην, largiter, affatim, & φάγειν
edere.

Fatemur quidem libenter, quod vox hæc ipsa, apud *Gale-*
num & quæ ac *Hippocratem* vix compareat; interim cum juxta *Ga-*
lenum, in verbis facilibus esse liceat, dummodo in rebus conve-
niamus; Placuit vocabulum, notæ de reliquo & planæ significa-
tionis, non aspernari.

Est verò *Ἄδηφαγία*, *excessus in quantitate esculentorum assu-*
mendorum; quo eadem vel in nimia mensura, vel nimio ingur-
gitandi impetu & præcipiti ingluvie, ingeruntur, vel utrumque
simul contingit. Dicitur quoque *Voracitas*, pejore, *Voratio*,
nequæ ipsamet satis cultâ appellatione, uti *Aviditus*, nimis ge-
nerali significatu.

Diffrat à *Fame*, & variis hujus perversitatibus, dum ferè
magis *confuetudinem*, aut *gustus* lenocinium sequitur *Ἄδηφα-*
γία;

yia; Cum *fames*, *naturalis* quidem, *labores* & *tempus* sectetur: *Præter naturalis* verò, & *objectis* & *duratione* varie discrepet, & ferè manifestiores & causas & effectus p. n. comites habeat, quam simplex *adηφαγία*.

Imò verò provocatur nostri censu*s* edendi libido aut abundantia, magis à *consuetudine*, *gustus* lubidine, & *præsentium* præcipue *eduliorum* invitatione, ut modò dictum; Quamvis eo ipso non excludere possimus *obtrusionem* & *ingestionem* cibi, quæ *infantibus* frequentissimè obtingere solet, à nutricibus aut matribus, modo per malitiam, modo imprudentiam: Siquidem hic quoque *consuetudinis* subest titulus, dum infantes ita adæti, huic etiam vorationi sæpè haud difficulter morem gerunt.

At verò illa *adηφαγία*, quæ non tam in universâ mensura & que excedit, quam solius *ingestionis* quasi *numericæ* præcipiantiâ; ut *nimiris* cito, ferè tamen *frustis* immoderationibus, ingurgitetur cibus: Licet hæc *famem* interdum sequatur, tanto tamen magis differt ab ipsa *fame*, quanto magis non circà ipsum *objectum* aut *materiam*, satietatis, quam circà *tempus* solum & *successum* ejus, impingit, adeoque ne *famī* quidem ipsi directè satifacit.

Vocamus Germani, primi quidem generis *adηφαγίas* das allzuvielle Essen; posterioris verò das hastig Essen, geizig essen und einworgen: Über-essen autem, latiori quidem acceptione, priori adhibetur: Paulo striciore verò, effectui demum posterioris, aut utrarumque concurrentium, quas etiam tantò certius sequitur, & tunc magis πλήρωσις Antiquorum, aut πλησμονή, existit.

Quamvis autem *adηφαγία* nostra, non sit vera aut ipsa *fames*, non negamus tamen propterea, quin *fames* illam ipsam quoquè *exsuscitare* & provocare possit, & sæpenumerò soleat, ita tantum, ut initium quidem edendi, etiam ab aliquali fame fiat, sed continuatio longè ultrà illam porrigatur.

Liceat nempè hoc loco *accidentalem* adhuc differentiam *adηφαγίas* adjicere, à *qualitate* ciborum petitam; Quo videlicet in-

intuita alia *simpliciorum* & solitorum eduliorum, alia multiplicium, *opipararum*, variè conditarum dapium ingurgitationi indulget: Quod quidem ad *Pathologicum* scopum deinde aliquid sèpè momenti confert, dum *simpliciorum* ciborum abundantia, facilius ad tranquillam absunctionem transit, aliorum verò & turbulentorum non item. Quibus quidem incommodis etiam *habitus corporis* patientis, *Ætas, sexus, anni tempus, tempestas, potus proportio, excretionum, & præcipue vomendi, facilitas, plurimum variationis conferunt atquè subinistrant.*

CAP. II.

Qui sunt αἰδηφάγοι.

In temperantiae ut ferè in aliis rebus plurimum expositi sunt qui minimum exercitae rationis in promptu habent; Ita *edendi* quoque incontinentiae, ferè iidem obnoxii observantur: Aut, si utique illi aliquando hīc impingant, qui solidioris ratiocinationis de reliquo non ita rudes haberi merentur, evenit tamen ipsis hic excessus tunc maximè, cum vel non satis hoc ipsum quod agunt, cogitant, vel facili ad sibi indulgendum inclinatio, per ipsam rationem, non satis circà hæc negotia instruēt, dubitant, an, quantum, & quando, ipsis hoc nocere possit.

Neque tamen solum rationis minus exercitae hic subest vi-
tium, quandoquidem aliàs bruta animalia tantò magis huic ob-
noxia esse deberent; Cum tamen non modò ille, quisquis tan-
dem fuit, *asini* sui exemplo homini sobrietatem suaderi posse
putaverit, dum ille quidem non plus, quàm ad necessitatem, bi-
bat: Sed & ex illâ eadem consideratione, humanum admo-
dum errorem committere videatur, qui *Vermes* infantum, uvis
passis adeò obscurare speravit, ut illi inde medii crepent &
rumptantur.

Sed apparet reverà potius rationis, non tamen operosè
comparantis, hic esse error, ut *opiniones* illas, quas de *Saporum*
amoenitate sibi format, sine ulteriore disquisitione, sectans, se-
cun-

cundūm istas velit atque agat; Id est, *sapores* quos maximè *grati*
os fingit, etiam plurimum velit, seu, ut vulgò vocant, *appetat*,
iisque delectetur.

Unde quidem videmus, quod à *δηφαγίᾳ* nostræ plurimum
indulgeant pusiones, jam aliquem *saporum* & *cupediarum sensu*
exactiorem experti, & quid *gratum* sit, quid secùs, *sensus*
arbitrio distinguere compotes. Neque tamen ipsi tantùm, sed
adulti quoque *saporum*, nescio peritiores dicam, an solum cu-
pidiores: Similiter *fæminæ*, ad *sensus* quidem communiter satis
acutæ, ad *judicandum* verò rectè, hebetes & fastidiosæ.

Confirmatur hoc tantò magis ex eo, quod non modò *mi-*
nus gratorum ciborum nulla facile occurrat *aviditas*; Sed etiam
contrà, vix ullus homo ita sanâ & constanti sit ratione, quin *u-*
nius cibi satietate jam potitus, alterius, *sensibus* ad minimum
blandientis, invitatione ita tentetur, ut, nisi j̄am ultrà à *δηφαγίᾳ*
quoque satur, de eo quantumcunque adhuc assumere aveat.
Quæ quidem *cupidas* s̄epè eo usquè procedit, ut alii quidem
non nisi metu cohibente manus abstineant, möchten wohl gerne
noch von dieser Speiß essen, wann sie sich trauen dürften, daß sie sich
nicht gar zu weit überladeten: Alii verò palam indignentur,
quod dictum non sit prius, hoc edulii genus adhuc allatum
iri, & *pigeat*, *quod non possint amplius edere*, nedum ut *esuri-*
rent, & tamen hoc quidem ferculo non tam ventriculum, quam
palatum suum pascere, cuperent atque averent.

Et hac quidem aviditate *ad edendum*, flagrant ejusmodi, qua-
les nominati sunt, *puelli*, *pueri* *puellæque*, *fæminæ*, *adolescentes*:
Auget verò illam *Temperamentum* quoque, & *corporis animique*
mollis atque *laxus habitus*. Unde quidem *Sanguinei* & *Sanguineo-Phlegmatici*, ad hanc intemperantiam tantò proniores sunt,
quò minus noxæ aut incommodi sibi metuere consueverunt.
Ad aviditatem verò illam *in edendo*, aptius ferè est *Cholericum*
Temperamentum; aut in aliis quoque *fames*, cum *dapsili* *cibo*
& apprimè arridente, fortuitò concursans. *Melancholicis* au-
tem, nisi *invidia* aut *metus* *festinationem* persuadeat, *cibi pecu-*
liare prorsus, & ferè *ipsis solis placens*, *lenocinium* imponat
ne.

necessè est, ut aliter quām moderate & tardius edant; sanè, si optio libera detur, potius in *asseruandis* largioribus reliquiis, eorumque repetitis degustationibus, gavisuri, quām bruto & spurco, juxta ipsos, impetu & incontinentia, tantum deglutire magis, quam degustare aeventes.

At verò illi infelices, qui ad *aliorum arbitrium*, atque obtrusionem vorant, *pūsiones* sunt, admodum adhuc minutuli, & quorum ætas septimanis, aut mensium primis numeris, computatur. His ingerunt cibos sæpè, aut multum, aut utrumque, alibi *Nutrices*, modo exsuccæ, modò cuticulam suam curaturæ potiùs, quām infantis, modò pigræ & somni cupidiores: Faciunt verò hoc proptereà, ut cibo suffarcti infantes, tantò minus alimenti ab ipsis efflagitent, adeoque nec multum ipsas exhauriant, neque somni inopiam faciant. Alibi hoc idem agunt *Matres*, quæ, ut robustum & benè habitum nanciscantur infantis Corpus, non cessant, illi magnâ cibi copia in hunc finem subvenire, cujus nimius tandem usus, varia mala prognere ac inducere, non magis valet, quam solet.

Ultimo loco meminisse oportet illorum, qui partim *non-naturalibus*, partim *p. n.* occasionibus inducti, aviditati nimiae edendi se emancipant. Sunt verò *prioris generis*, homines tales, qui vel ab *inopia*, vel ab *inediâ*, ad *plenam* non tantum, sed etiam *lautam* Diætam, transferuntur: *Posterioris generis*, qui à *Vermibus*, *quartanis*, *Hypochondriacis* affectibus, imò ipsa interdum *Epilepsiâ*, obsidentur.

Quorum primi quidem, admodum frequenter magna mox incommoda ab avidâ ingurgitatione persentiscunt, adeò, ut vel inde cogantur, cautiùs hic mercari, & ad minimum successivè ab uno extremo ad alterum transire, & à tenui atquè parco victu, ad saturitatem, imò plenitudinem, mutare.

Ridiculum videri posset, sed est reverà certum, quod hujusmodi homines, sæpè ab ipso *otio* occasionem edendi sumant, & edant, ne nihil agant: Præcipue si *præsentia* & *copia* ciborum instigentur. Sicut etiam in *sapidioribus* & *palato gratis* ferculis, sensuum ipsorum lenocinium, suprà jamdum non sine cau-

sā notavimus. Unde quidem etiam temporaria, imò fortuita
ἀδηφαγία occurrit; ut certi solum ferculi sapore deliniti, bac
 ipsa vice præter solitum justò plus edant, ita ut intemperanti-
 ores de turbâ non vereantur dicere: Sie haben so viel, sich so
 dict, gegessen, daß sie sich kaum besinnen können; Cui ferè, et
 iam nihil docti aut moniti, succurrunt remedio illo Hippocrati-
 co, de salubr. vict. rat. Qui postridie cibos eructant, & quibus præ-
 cordia nempè nondum concoctis cibis, attolluntur, iis longior somnus
 confert.

Qui à vermibus avidi sunt edendi, interdum ad *quoslibet*
cibos, ad edendum in genere, feruntur; valde frequenter autem
 ad certos præ aliis. Et hi maximè posteriores sunt nostri gene-
 ris; cum priores etiam vera *fame* affici credi queant, depascen-
 tibus nempè bonam quantitatem nutrimenti ipsis vermibus,
 ut ad Corpus patientium parum inde redundet, illique adeò in-
 de famelici evadant.

Quartaniorum frequentissimè magis *singularis* & *perver-
 sus* est edendi appetitus, quam vera & simplex *fames*. Unde
 aliqui quidem veluti confuso & tumultuario appetitu, quic-
 quid effertur, ingurgitant; si tamen optio detur, cupiunt ferè
 duriores, aut *sapidiores* cibos, carnes & pisces salitos, fructus horæ-
 os, *acetaria*, & *frigida* magis, quam calida, *solida* quoque potius,
 quam *mollia* & *teneriora*, fercula. Imò exserit sese haud rarè
 vera *Pica*, seu *inordinatus* & planè alienus appetitus, de quo
 jam suo tempore eruditè & peritè annotavit *Fabric. Hildan.*
Cent. I. obs. 37. quod aliqui non prius à *quartana* convaluerint,
 quam *picanti* illorum appetitui satisficeret.

Unde quidem & horum, & *Hypochondriacorum* aliorum, a-
 viditatem, ab *acido* simpliciter derivare, jejenum apparere po-
 test; Cum ipsi quoque tales *hypochondriaci*, communissimè non
 omnium *promiscuè* ciborum appetitu, seu vera *fame*, afficiantur.
 Sed magis certorum, duriorum salitorum, in specie verò *frigido-
 rum* magis, ciborum, cupidine flagrent, & in talibus deinde
 præcipue *intemperantium* suam sequantur.

Epilepticorum hujus generis, præcipua ferè aviditas, occu-
 pa-

patur circa panem, secalinum quidem potius, quam triticeum; & longè certius circa panem, quam alios quoscunque cibos, ut propterea nuda & simplex fames accusari minimè possit. Terminatur verò talium Paroxysmus quoque, ordinariè in Komi-
rum, quo semicoctum panem, seu fermentescens magis pul-
tem, iterum è ventriculo excutiunt.

CAP. III.

Unde nascatur *αἰδηφαγία*.

Non evagabimur hīc prolixè in *mechanismos* illos *automati-*
corum qui pulsionibus suis, & pruriui illodentium, totumne-
gotium concisa brevitate absolvunt. Cum enim juxta ipsos, *fā-*
mes nihil sit intentionale, finem aliquem propositum respiciens,
aut morali aliquo & destinato respectu agens, sed corporeus fo-
lūm mechanismus, fibras ventriculi, hinc œsophagi, deinde fau-
cium, denique linguæ & oris, pellens, pulsans, tendens, premens,
vellicans, agitans, &c. Propterea nihil quoque hic poterit defi-
niri, donec aliquando desideratissimum illud Schema delineat-
um prodeat, quod *figuras particularum pellantium, vellicanti-*
um, &c. & mutuam proportionem fibrillarum Ventriculi, œso-
phagi, laryngis, linguae, &c. ad oculum, imò vero ad circinum,
exhibeat. Postea verò simul omnes illos *Canones nisuū, ten-*
dentiarum, vergentiarum, irritationum, subjungat: Denique ve-
rò apicem totius necessitatis *facti*, in eo demonstret, quod hæc
ita fiant, quia Deus ita voluit. Antiquâ satis Philosophiâ, quam
Græci sub titulo: *Θεὸς ἀπὸ μνχαῦντος*, jam pridem celebrâ-
runt.

Interim verò (& donec aliquando desideratissima illa
tabula Smaragdina perficiatur, quâ non modo dicatur, sed de-
monstretur, quomodo *quod est superius, sit sicut id quod est infe-*
rius, & absolute voluntas, cū necessitate mechanicâ connectatur,)
nos quidem rusticiore Philosophia contenti, dicemus, quod
αἰδηφαγία sit ab *appetitu*, id est, secundum nostram Philosophi-
am, *voluntate*, non satis benè & exactè pensitatâ, sed primos

tantum sensuum motus leiente, adeoque appetitu inordinato; & mala, moraliter, inquam, mala, inconsiderata, non sufficienter comparata, consuetudine. Verbo, incontinentia appetitus, sive instantanea, sive habituali, & multoties repetita. Quæ ipsa cum in se, male fundatam estimationem, saporis grati aut adversi, pro fundamento habeat; nos quidem illam magis pro morali intentionali, speculativa re, habemus, id est, ut vulgo vocant Scholæ, pro Ente rationis perperam ratiocinantibus: quam ullo modo pro figurâ particularum, aut textura partium. Unde quidem est, quod sæpenumerò orta alicunde vehemens, fætida tamen ipsa quoque, nausea, perpetuum fastidium ejusmodi rerum inducere possit, in quibus alias intemperans fuerat & ἀδηθαγός appetitus.

Quod ipsum sicuti de nausea certissimum est, quod nempe etiam nuda imaginaria adversitatis alicujns fictio, appetitum etiam legitimum atque justum, subvertere possit: Ita in nostro quoque negotio, cum ἀδηθαγία communissimè occupetur circà selectum aliquem, & non in genere, edendo simpliciter, excedat, sed in acceptioribus præcipue, minus sibi temperare soleat: Dubium certè nullum supereft, quin cibos tales, non ut satiantes purè, sed ut sapidos, delicatos, raros, &c. adeoque ex speculativa aut imaginariâ magis causa, & appetat, & ultrâ modum ingurgitet.

Ubi quidem non ignota est, illa valde familiaris loquendi formula: Man habe dieses oder jenes so in Gedancken hineingeessen: Item: Es sey keinem Maul zu trauen, quando vide licet aliorum prægressorum ciborum satietas jam cepit, subsequens verò aliquod ferculum, nudi saporis putatitii incitamento, ad amplius edendum homines provocat.

Quemadmodum verò omnium, arbitriarum maximè rerum, facilis fit consuetudo; Ita ἀδηθαγία quoque nostræ promptissima talis assuefactio insolefecit, ut deinde etiam ex ipsa consuetudine desiderium tale increbescat, & sèpè, aut multum edendi, aviditas, ipsa etiam memoria excitetur.

Cu-



Cujus quidem rei exemplum manifestissimum exhibent communiter pueruli, alias sani & benè habiti; qui, quicquid etiam aliud agant, simulatque edentem aut bibentem conspi- ciunt, statim ipsi quoque ejus participes fieri avent: Ea tamen cum differentia, ut si edentem aut bibentem aliquem videant, quem non noverint, jam non æquè cupidine illâ tangantur, sed tantum tunc, si notus aliquis id agat, à quo aliquid obtinere sperent: Manifesto rationis sese immiscentis documento.

Certum itaque nobis & firmum potius est, partim *gustus opinionem*, partim *confuerudinis suscepτæ incitamentum*, esse ad- dñ *φαγίας* præcipuas causas. Et *arbitrariæ* quidem, reverà *avidæ*, & veluti *activæ*.

Infarctus verò ab alieno arbitrio productus, & in hoc ge- nere *passivus*, qui infantibus sæpenumerò evenit, ex impru- dentia quidem Nutricum ortum suum habet: Potest tamen interim, imò solet haud raro, fieri, ut ipsi etiam infantes, *gustus* ipso jamtum decepti, copiosæ illi & avidæ comedationi facile obediant, & eo ipso avidi evadant. Tantò magis, si *frixa*, *sac- charata*, *mellita*, aut quocunque fallaci *sapore blandientia*, ipsis offerantur.

Constituimus suprà speciem quandam *αδδηφαγίας*, quæ non tam in *continuâ*, sed *discretâ* quoque quantitate, exceden- do, justo plus ingurgitet; Quando videlicet etiam minor quantitas eduliorum, magnis & *ingentibus buccis*, stomacho va- cuo & constricto, *repente* obtruditur. Hujus quidem, *causæ* magis ferè sunt *occasionales*, *fames* ipsa diutius tolerata, *festina- tio* alia necessaria, *saporis* speciale oblectamentum, *invida* sese satiandi *cupido*, ne ab aliis fortè præripiatur penus.

Ubi quidem verbo licuerit meminisse, quod langvida illa in edendo segnities & *tarditas*, communiter bonis moribus molesta sit; Sed hæc quoque *aviditas*, ubi buccis colloque ad tu- morem usque suffarctis, manus tamen perpetuò in disco, ocu- li verà, per obliquum, in patinâ & vicinorum discis, anxiè laborant, meritò adhuc magis contemnatur. Neque illud sa- nè injuriâ, quandoquidem hujusmodi incontinentia impo-

tentiam animi haud exiguam prodit, quæ sensui maximè evanido, qualis est gustus, modum aliquem facere non possit.

Sed missis his, transimus ad utiliora, & magis ad nostrum, Medicum forum, pertinentia.

CAP. IV.

De Noxis αδδηφαγίας

Ioquitur titulus Disputationis nostræ, de *Intemperantia edendi, nocua*. Ubi non æquè morum censuram agere, in hac quidem Cathedrâ, suscipimus, ut turpitudinem aliquam in incontinentia illâ notemus: Sed fert potius institutum nostrum, ut de *Corporalibus* damnis, nimiam quantitatem & præcipitem infarctum Ciborum, sequentibus, agamus, adeoque, quomodo *Corpori noceant*, evolvamus.

Perficiemus hoc credo commodissimè, si alimentorum assumtionem & distributionem justam debitamque pro norma ponamus, & quomodo *αδδηφαγία* nostra ab istis exorbitet, conferemus.

De *justa* itaque & debita alimentorum *assumptione & Distributione*, notari debent, 1) Ciborum in ore ipso prima *præparatio*, quæ *masticatione*, & *Salivæ* sufficienti admixtione, absolvitur. 2) Deglutitorum Ciborum placida & tranquilla in ventriculum *receptione*, & in eodem *retentio*. 3) *Detentio* Ciborum in ventriculo ad justum tempus, nempè donec eorum conveniens *resolutio* fermentatoria, maximum partem absoluta sit. 4) *Fermentationis* hujus ipsius, conveniens, & nihil perturbatus, *succensus*. 5) *Resolutorum* ita Ciborum tempestiva *distributio*, per reliqua tenuia intestina, ad meatus chyliferos.

Harum conditionum quæcunque tandem defectum aliquem patiatur, non sine metu successuræ ulterioris molestiæ, imò periculo graviorisnoxæ, id ipsum experitur; Eo tamen ordine, ut quo magis jam progressa ciborum promotio, serò demum, remorat, aut turbationem aliquam subit, eò majoris quoque damni seminia inde pullulare soleant.

Quam-



Quamvis enim *commixtio*, quæ per *masticationem* peragiatur, ad ulteriorem intimam resolutionem ciborum in puliculae teneritudinem, utique haud parum conferat; Posset tamen paucis diuturnior mura, hunc usum, si deficeret, resarcire: Sicut etiam *Salivæ* commixtionem, sub commasticatione, compensare posset deglutitio ejusdem, post cibos jam in ventriculum demissos: Cum verò in Oeconomiâ animali, plurimum prorsus intersit, inter id quod fieri posset, & quod fieri solet; notandum illud est hic quoque, quod si vel maxime sèpissimè *Compensationes* tales, commisso errori in subsidium adhibeantur, nihilominus non ita rarissimè evenire quoque soleat, ut defectus ejusmodi nullâ vicariâ ope sublevatus, tandem in gravius damnum exasperetur: Siquidem, quocunque horum defectuum, debita *concoctio* intercipiatur, nihil certius inde sequitur, quam *onera-tio Ventriculi*, per cruditates, aut colliquamenta foeda, è Cibis, non debitè fermentescentibus, prognata.

Deglutitio verò, & *susceptio ciborum* in ventriculum, si minus moderatè fiat, infert jam præsentiora incommoda. Cum enim *Ventriculus naturaliter* sit *vacuus* & *contractus*, & tantum non-naturaliter ita distendatur, ut Cibis locum atque receptaculum præbeat: Oportet propterea hunc transitum è contractione ad *distensionem*, moderatè & successivè fieri. Secus enim si agatur, oritur facillimè actualis *Ventriculi renis*, qui non modò ulteriori ingestioni resistat, sed etiam non raro ad illud, quod jam intrusum est, iterum expellendum atque excutiendum, tendat & progrediatur.

Similiter, cum *concoctio* seu *resolutio* Ciborum in *Ventri-culo*, sufficientem *moram* requirat; si ex ejusmodi perversa & præmaturâ *irritatione*, *Ventriculi præceptra contractio* aut *renis* subsequatur, excutiuntur ex ipso Cibi, antequam ad *resolutio-nem* necessariam pervenerint.

Imò, cum ipsa illa *resolutio fermentatoria* existat, quæ *tur-gescentiam* subtilissimè spumidam post se trahat, à quâ major *tensio* & *expansio* *Ventriculo* inducitur: Quando hic jam ipsa *præcipitis* ingestionis molestia irritatus, ad refractarium *reni-sum*.

sum restringitur: Augescit hoc tanto magis, quando increbescens illa *expansionis* energia, præcedens fastidium duplicat.

Ubi nimirum utique memori mente tenenda est, magna illa vis, quæ ab hujusmodi fermentativo spumido orgasmo, ad expansionem, tum materiæ fermentescentis, tum consequenter continentis, sese exerit: quam quidem jam ipse *Hippocrates de Natur. puer.* anotavit: nostris autem temporibus, curiosissimus Boyleus, qui pisorum ad germinascentem fermentationem mace-ratorum, tam violentam expansionem expertus est, ut non ita numerosa horum quantitas insigne pondus impositum sursum extulerit; unde quidem etiam non modò probabile est, quod ejusmodi *expansio* sub actu *concoctionis* magis invalescens, majorem etiam *renisum* ventriculi, augmento nempe hujus nisus respondentem, ordinarie quoque requirat; aut si hic deficiat, *inflationes* ejusdem formet, ut vulgo è *flatulenta*, hoc maximè tempore sese exerente, notum est: sed edit hæc ipsa *turgesatio*, tanto graviores turbas, si expansio illa ventriculo jam *irritato*, & distensionis ulterioris pertæso velut ac impatienti, obtin-gat.

Siquoque ita insufficienter concoctorum ciborum, intempestiva expressio *versus inferiora* subsequatur, evenit facile unum è duobus incommodis, nimirùm, ut vel 1. eodem impetu, quo suscepitum est festinatæ expulsionis è ventriculo incommodum, *propulsio* quoq; ulterior per intestina tenuiora, arctiora, & veluti brevioris periodi motūs, continuetur vel ad minimum 2. *crudus*, & nondum sufficienter attenuatus, *fer-mentatus*, ad mixtionem animalem nondum sufficientem initiatus, chylus, partim in ipsis *intestinis* tenuioribus, prævalida adhuc fermentescentia, *flatus*, *tormina*, *borborygmos* producat, aut contrà, *lentore* mucido concepto, molestam adhæsionem, viscosis cruditatibus generatis, ibidem efficiat, quæ & *tormini-bus*, & *Diarrhœis* ansam præbeat.

Ex his quidem veluti fontibus, profluunt varia illa pericula & damna, quæ ἀδηφαγίαν consequi solent. Primum horum & veluti simplicissimum, est molestus ille *tensionis*, com-pres-

pressionis, renis, sensus; quem patientes jam adultiores, imo annosiores, pro vario ejus gradu, variis etiam loquendi formulis, exprimunt, dum dicunt: Sie haben dem Essen gar zu viel gethan, sich so dict gegeben, daß ihnen der Bauch dähne, oder thöne: quod quidem sëpè adeo manifestum est, ut non modo viri nodorum thoracis reseratione, angustiae illi succurrere suscipiant: sed etiam fœminæ, magnæ ejusmodi arctatione obrutæ, thoracum illorum loricatorum, osit 9 nimirum balænarum subtextorum) relaxatione, sibi consulere necesse habeant.

Inter fœminas, plurimum incommodi affert οδηφαγia, prægnantibus; quæ quidein proinde, si in conviviis palato nimum indulgeant, quasi ordinariè modò dicto huic, si non gravioribus incommodis, obnoxiae observantur.

Proxima, sed altioris jam fastidii consectaria, sunt, angustiae nauseabundæ quas quidem exprimunt, es sey ihnen übel, hätten so viel, von dieser oder jener Speise hinein gegessen, wolten daß es schon wieder heraus wäre, wenn sie sich nur übergeben könnten &c. sub quo etiam fastidio erumpunt non raro ructus, cum aliquo, sed ferè momentaneo solum, levamine.

Si verò minus succedat repentinus talis renis, fieri solet, ut languidior quidem, sed tantò diutius continuans, talis tensio, pressionis instar, sequatur, ut conquerantur, es liege ihnen wie ein Stein im Magen, Blei-schwer, drücke wie ein Kloß &c. cum concurrente communiter morbido adspectu, appetitus reliqui maxima dejectione, aut ad minimum quoties denuò a-liquid assumunt, non modo prompta saturatione, sed etiam sensus illius urgentis pressorii instantanea exasperatione.

Prout hæc duo posteriora pathemata, modo violentius, modo contumacius, ingravescunt, succedunt, priori quidem (fastidio nempe illi magis activo & anxi) cardialgiæ vehementiores, nauæ & vomibundæ, & tandem ipse vomitus: qui quidem, si in subjectis alias non benè ad hanc excretionem dispositis, contingat, aut tardius demum, post longum molimen erumpat, deinde nihil moderatum fert: sed vel simul & semel, gravissimis ventriculi subversionibus, vel diuturnis, repetitis, facillime re-crudescientibus, vomitibus, ansam præbet.

C. Imò,

Imò, si viscidus talis lenor unà concurrat, qui vehementibus illis ventriculi torsionibus nihil obediat; non levis inde patet aditus, ad *cachectica* turbatæ concoctionis & distributionis confessaria febres quoque *stomachales*, *icterum*, *colicam*, & alios terminos affectus.

Languidus verò ille, *fastidiosus* ventriculi renis, si præcipue cum *viscida* tali tenaci materia concurrat, vergit in *flatulenta* ventriculi & intestinorum atoniam, & varia, inde subnascientia *chronica* & languida morborum genera. Inde enim *appetitus* imminutio indies major; aut, si maximè præsens hoc incommodum tollatur, remanet facillimè, imò communiter, *diurna* talis, etiam ad leviores hujus generis excessus, *sensibilitas*: quæ quidem, quò magis posthac invalescit, eò facilius transic in verum *habitum*, qui non nisi ægerrimè, multo quoque studio & arte, corrigitur.

Tolerabilissima fere est ab ejusmodi oneratione ventriculi, ejusque maturiore, sed impetuosa, excussione subsequens *aversio* ab illo genere edulii, in quo fortè excessus eminentior admissus fuerat.

Quemadmodum verò in *tenerioribus* Corporibus, omnes ejusmodi noxæ, & irritationes quoque longè sunt sensibiliores, quàm in robustioribus; Ita eveniunt etiam mala hæc longè promptius & violentius, *Infantibus*, aut *pueris*, aut denique *fæminis*: Antè omnia verò, si *tenerior* Corporis constitutio, aut *scrupulosior* de reliquo *Dieta*, unà intercedat, utpote quibus sub circumstantiis, longe major sensus, etiam leviorum errorum fese exferit.

Et nocet profectò quamplurimum *adηφαγia Infantibus*, quietiam inde promptè incurrint *vomitus*. Ubi quidem vulgus proverbium illud in ore habet: *Spey-Kinder, Gedeyh-Kinder*: Sed nihil aliud illo ipso inferunt nisi, quod quidem infantes tales, si offatim edant, interdum verò *revomant*, sic satis *augescere* observentur. Nequaquam tamen illud sine multiplicibus iþorum infantum *angustiis*, *cardialgiis*, *languoribus*, *estuationibus*, *quiritationibus*. Et hoc tantò magis quo *impeditius* vomunt, aut accidentales difficultates, mobilitatem materiae remorantur.

Illud

Illud sane in confessu est, quod hujusmodi infantes, nisi nimio alimenti infarctu onerarentur, minimè vomituri essent: Quod verò vomant, proficiscitur vel ab ipsa nimia *expansione* ventriculi, cuius impatiens Natura, impetuosa ejus contractione, excutit simul & semel, quod molestum est: Vel oritur à cruditatibus insufficientis concoctionis, quæ nauseam talem, & mox vomitum provocant. At verò, quod hæc alterutra, vel utraque, molestia, actuali vomitu exoneretur & depellatur, actus hujus *utilis*, & ulteriorem graviorem læsionem *præoccupantis*, autor, est ipsa *Natura*. Sicubi ergò additum *Qayla* infantie evenit, cuius natura minus vegeta, minus agilis & prompta seu alacris, existit, adeoque maturam illam excussionem superfluitatum harum negligit; sequitur tantò certius aliquid ulterioris periculi aut damni, de serie superiorius enarratorum pathematum.

Notum certè est, quantas turbas, etiam adultis & robustis corporibus, exhibeat difficilis succensus vomendi. Ubi *Cardialgicæ* angustiæ, & *anxietas* gravissimæ, haud raro ita dejiciunt patientem ut mortis instantis periculum, tam ipsi, quam adstantibus, adesse videatur: Adspectus interim, cum summo pallore, veluti *cadaverosus*, oculi profundi, nares contractæ, tempora subsidentia, sudores frigidi frontis, vertigo, animi summa dejectio, imo interdum mentis titubationes.

Talia quidem si infantibus quoque eveniant, non longè absunt ipsæ omnino *Convulsiones*, modo internæ magis, hypochondriacæ, sorminosæ, cum repentinis *clangoribus*, *exclamationibus*, *singultuoso*: modò externæ, quas *Epilepticas* vocare solent.

Unde quidem stolidæ prorsus audaciæ sit cœptum, superfluo infarctu onerare infantes, ut vomant, adeoque felicius augescant: Siquidem non *vomitus* in se, infantibus prodet, sed tunc demum, si nimia ingurgitatione oneratos, ita exoneret atque sublevet. Quod quidam longè prudentius à priori cavetur, ne videlicet opus ipsis sit vomitu, si ventriculus nullis superfluitatibus prægravetur. Quando enim *vomitus* ille non ita succedit, & tamen nimia illa ingestio continuatur non potest, quin alia, de suprà dicto censu, mala, infantibus inde eveniant,

Sunt verò infantibus ex his maximè familiaria *tormina*,
& variae *Diarrhææ*, *Lientericæ* quoque, seu nihil concoctorum
Cibariorum excretiones. Quibus quidem opportunè ferè
concursat tantum Cibos ultrà assumendi *fastidium*, ut non
modo ipsi eosdein aspernentur, sed etiam ingesturis aliis, &
oris pertinaci clausura, & manuum, pedumque renisu, quan-
tum possunt reluctentur.

Ingravescunt autem hæc mala, si Infantes de reliquo *al-*
vi segnioris existant, aut remediis *adstringentibus* intempestive
his occurratur. Ita enim vel antequam *Diarrhææ* perrum-
pant, vel quando temere suppressæ sunt, facile *convulsus* af-
fectibus, aut *febrilibus* *exæstuationibus* occasio suppeditatur.

Quò segnioris verò *indolis* sunt infantes, eò certius & ci-
tiùs contrahunt ex *additivis* lentes viscidas *obstructiones* &
infarcitus glandulosorum viscerum, & hinc modò *cachectica*,
modò *atrophica*, *consectaria*, cum abdomine ferè non ita ex-
tuberante, sed tamen admodum duro. Illa verò *abdominis* in-
fantum *tensio*, quæ cum insigni *extuberancia* ejusdem conjunc-
ta est, & reliqui corporis *contabescientiam* comitem habet, du-
cit ferè magis ortum à *potu* nimis *intempestivo*, frigido, præci-
pue nocturno.

Quemadmodum verò haud temendum malum *atrovires*
Ventriculi atque Intestinorum, quæ à *quantitate* nimia, & ul-
teriore expansione ciborum ita ingurgitatorum ortum du-
cit, & *flatulentæ*, atque *cruditatum* receptatrix evadit. Ita
irritatio quoque, *atrovires* huic modò opposita, modò subordi-
nata, & in subsidium substituta sæpenumerò haud exiguae,
sed altioris considerationis turbas post fese trahit. Imò ve-
rò ipsæ *cruditates*, è *mala*, insufficiente, interrupta, *concoctione*
pullulantes, fovent & hæc pathemata circà primas vias, & bo-
nitatem ipsius massæ reliquæ humorum, seriùs ocyus turbant
& inquinant.

Prævalet autem tantò magis unumquodque harum læ-
sionum genus, quando *qualitas* ciborum ita *excessivè* inge-
storum, in se, à *concoctionis* placidæ & *tempestivæ* legibus
aliena, cum *quantitatis* vitio concurrit. Ita enim si assumta

talia fermentationi valde obnoxia sint, *sacharata mellita, fructus horæi*: Aut viscosæ densitati fuscipendæ apta, ut varia *frixa, pinguia, sicca, dura, pastæ, vappidæ, ova* ad duritiem cocta: *Piscium varia genera, &c.* Ibi, si ipsa *quantitas nimia, debitam concoctionem eludit; evertit illam tantò promptius atque magis qualitas ejusmodi aliena, quæ hâc ratione nihil nisi multiplicem læsionis ejusmodi intensionem, imò sæpenumero multiformem diversorum accidentium concursum, parturit atque promovet.*

Diximus superius aliquid, de insignibus illis damnis, quæ fœminis *gravidis* ab *αδδηφαγίᾳ* evenire possunt, de quo adhuc duo verba subjicere, è re nostra fuerit.

Fœmina quæ utero gerit, cum non modo *proprii sui corporis & sanguinis, sed simul embryonis sui, nutritioni satisfacere* necesse habeat, eget utique copiosiore alimento, quam alia quælibet, utero nihil gerens: Et hoc quidem tantò magis illis mensibus, quibus incrementum Corporis admodum *festinato augmento* increbescit, nempe quatuor aut quinquè *postremis*. Quamvis autem hoc reverà sese ita habeat, fervandus tamen est utique modus in assumptione *successiva*, ut pededentim quoque eidem assuefiat Ventriculus, prout successivè demum magis magisque usus est largiori ejusmodi Nutritioni. Quod ipsum si negligatur, & *ordo debitus* hoc loco pervertatur, ut turbæ illæ ingurgitationem præcipitem *excipere solitæ concitentur*; prognascuntur inde non tantum *in genere* majora gravamina, dum in corpore prægnante *angustiæ* omnes tantò citius exsuperant; sed excitantur etiam non ita difficillimè, ex ejusmodi moliminibus *torminosis spasticis*, suffocativis, altiores commotiones, ipsi *utero & fætui* periculose.

Nequè verò multò minora sunt, illa damna, quæ personis *tenui* *victui* assuetis, ab *αδδηφαγίᾳ* eveniunt; Tolerabilioris tamen eventus, si *sanis cæteroquin* accidunt: *Periculosi* verò, & sæpè *ancipitis*, si illis obtингant, qui à morbo exhausti, mox tali voracitate sese obruunt, & *gravida* illa Symptomata debiles adhuc, & à periculo nuper exantlato *trepidii*, denuò incurvant.

Illis quidem, qui sani in hanc difficultatem prolabuntur, eveniunt, *angustiae Cardialgicæ, suffocative, anxietates, vertigines*, sœpe tam repentinæ, & simul immanes, ut vel *venenias sumpti suspicionem* inde natam meminerimus; Qui ad *Convulsiones* alias proni sunt, *motus Convulsivos* inde quoque facile perpetiuntur. Exit turba hæc in *vomitus utilissimè*, & cum præsentaneo levamine: Sin minus, cooritur ferè *dolor capitis* satis vehemens, & emicant *febriles*, ad minimum *ephemeris*, calores: Solvitur denique successivè impetus, *quiete*, & superveniente *somno*.

Fiunt hæc omnia incommoda facilius, si *alvus sicca & obstructa* fuerit; & consopiuntur iterum tantò promptius, quando hæc liberata est.

Illi verò, qui à *morbis* gravibus vix erepti, *additivæ peccant*, & hæc talia patiuntur, & periclitantur inde tantò gravius, quò major fuit excessus, & quo impeditius, *utilis illa ex-cussio magis immediata, per vomitum, subsequitur*.

Imò verò, fit non ita raro etiam, *in ipsis acutis* præcipue & fonticis, *morbis*, ut *additivæ onerati patientes*, in pessimum statum devolvantur; quinimò irreparabilem totius affectus deteriorationem, ab hoc veluti novo principio ordiantur. Cum enim in ejusmodi affectibus, *abstinentia illa à cibis*; contrà communem opinionem, non aliquod Symptoma aut *passum* quid, sed *utile potius*, & certo modo *necessarium* sit, uti *D.D. Praeses* in Progr. de *abstinentia ciborum in morbis acutis*, latius consideravit: Turbatur hæc præposta abundantí ingestionē Ciborum, non modò generalis *intentio morbi*, sed etiam specialissimus ille *secretionum & excretionum necessiarium successus*, ut *toto ordine* sollicitorum illorum *Motuum confuso*, pessimus exitus subsequatur. Unde quidem non meretur admirationem, quod sœpè observetur, Patientes in *morbis acutis*, haec tenus debiles, circa *criticos & suspectos* dies, aliquando *mentis quadam emotione* affectos & statum suum tolerabiliorem laudantes, simulque cibum poscentes, ac avidè ingerentes, paucis sœpè horis post, interire.

Gra.

Gravissimè verò omnium habent hīc illi, qui ex *immani* & *extremā fame*, denuò ad cibos deveniunt: quibus quidem ad aliquam satietatem edere, certissima *mors* esse observatur, ut historiæ abundè confirmant.

CAP. V.

Damnorum medicatio.

Quemadmodum turpius censetur, hostem per labores & pericula, temporisque & sumptuum dispensia, rursus eicere; utpote qui vix, nisi per imprudentiam, negligētiamque admissus fuerat: Ita utique melius longè in omni negotio est, non errâsse, quam errorem operosè demum iterum resarcire. Applicamus hoc meritò ad nostrum præsens propositum, & pro optimo in hoc genere Consilio commendamus, *Temperantiam & moderationem*. Rectissimè sane in hunc sensum consuluit Hippocrates, loco sup. alleg. ἀσκησιῶν, ponens, in αἰσχείᾳ τρόφης, καὶ αὐνήν πόνων in *edendo citrā saturitatem, & laborando citrā otium*. Unde quidem præsentissimum remedium contrā αδηνφαγίαν esset, illam minimè committere: Sed, quemadmodum *anima consiliorum omnium*, est εὐπεραγία καὶ εὐποεία, ut nimirum πράκτον, factu possibile seu facile sit, quicquid suadetur: Ita in nostro negotio, nihil propemodum ab omni sanâ spe magis alienum est, quam obsequium illud abstinentiæ & moderationis. Quod profectò in multis ejusmodi rebus quotidianæ observationis est, dum segnibus & otiosis, labores & motus, iracundis tranquillitas, voracibus moderatio, luxuriosis temperantia, ita periculosè suadentur, ut, si severius hæc ab ipsis exigas, pro hoste habearis. Interim si utique fortè fortuna, unus vel alter autrem pra beat, habeat sanè hoc etiam consilium locum, quem meretur.

Subjungemus alterum, quod quidem & gratius paulo est, & ubi primum consilium non habuit locum, commodè in subfidiū vocatur. Ράον πληρῷθα ποτῷ ή σιτίσ: Tolerabilius esse



*potuexpleri, quam cibo, monet Hippocr. 2. aphor. 11. Ratio est in promtu, quia potulenta quaqua versum facilius depelluntur, nequè tam *stataris corruptelis*, sive *fermentativis*, sive *vappidis*, exposita sunt. Cum verò hæc ipsa incommoda *statariae* inquam ejusmodi corruptiones, *Cibis* tanto magis certiusque eveniant quò minus sufficiente vehiculo potulento, veluti *diluti* atque *lubrici* redditi sunt: Ex usu proinde est, proportionato potu ipsi quoque *additayla* subvenire.*

Habet hoc præcipue locum in ingurgitatione illâ *parvæ* quantitatis in universum, sed immodestis tantum *frustis*, factâ: aut assumtorum illorum, quæ in *densam* quandam *spissitudinem*, paucò humore turgescunt, quales sunt variæ *pastæ pingues, calidæ, frixaæ*: Quæ sæpenumero, sine proportionato, assumptæ, graves mox turbas concitant: Subjuncto verò eodem, longè minus, imò nihil, nocent.

Cavendum tamen hic quoque est, ne *potus* ipse immodestis *haustibus* pariter ingurgitetur, sed successivè & repetitis potius vicibus: Sit ille præterea *materialiter* quoque conveniens, consuetus, aut calidus, vinosus, &c.

Facilitat ad minimum potulenta illa *lubricitas* & *emolliatio*, faciliorem *rejectionem* nimii infarctus, per *Vomitum*. Quod quidem *tertium* hic est præsentius consilium, si jam eò processerit noxa, ut minus tolerari posse videatur, aut mitescere, effetuum impetus.

Imò verò, est quidem hæc ipsa maximè ferè tolerabilis ad vomitum ciendum methodus, ut etiam *coacti* assumant potum, præcipue *concalefactum*, unde quidem ab ipsa *nausea* bibendi & deglutiendi, tanto promptius suscitatur, *vomitus*, quem denum per alia remedia directe *Emetica* provocare, languidius sit cœptum: Non inconsultum tamen, si aliâ sponte sequi recuset.

Expedit vero quamplurimum, *alvum* quoque liberari, si clausa sit, aut lenissimè provocari. *Stimulatio* verò gravior, non secura est, *Colicarum spasticarum* metu.

Vomitum verò, aut *Dlarrbæas* post aliquod longius intervallum emicantes, adstringentibus iterum cohibere, minus longè securum est; sed sufficit, *tonicis, temperatè aromaticis, nervinis, vino tepido aromatisato, & tunc temporis moderato aliquo anodyno, subvenire*: Reliquum verò illo remedio poly-chresto absolvere, quo multi magni morbi, teste Principe Medicō, curantur, *Abstinentia, & Quietē*.

Ua 5316



SB

WOM





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605302-p0032-7

DFG


Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches



URALIS MEDICA;
ΑΓΙΑ
ΕΡΑΝ.
, NOCUA.

CENTE,
FICIENTISSIMO,
IPE AC DOMINO,
D WILHELMO,
NB. ELECTORATUS
, E.R.
ULTATIS MEDICÆ
SIDIO
SIMI VIRI
NESTI STAHL,
PUBL. h.t. DECANI,
SUI ÄTATEM COLENDI,
ENTIA
Honores, Jura, ac Privilegia
effendi,
horis ante- & pomeridianis
uisitioni proponet
G E L, Hervordiensis.
Chr. Henckelii, Acad. Typ.

37
~~N~~